

qui per 2 annos, quovis mense, amisit cutim et erines et barbam, et nullus novit caussam. Multa latent; quæso, inquiras in hunc casum assiduè; obtinebis fortè, quòd exuvias nostras deponat, instar serpentum; fortè renovabit; vel agat aliquo modo simili opio; si careremus opio medici, quām infelices essemus! dosis semper potest moderari.

Apud nos, ubi frigus extrà domum regnat, zona calida intrà; cùm claudimus caminum, postquām deflagravit focus, vivimus tanquām sub æquatore ferè sudantes. Si rima quædam in fenestrâ, et aer gelidus accedat ad corpus, fit mox rigiditas partis, quasi in tunicâ cellulosi, ut vix e. gr. collum flectere queamus, et si volumus flectere, præ dolore spasmo exclamare necesse est. Has, *refrigerationes* et *fluxus* vulgus vocat, et omnes nobiliores eo laborant; sudorisera aliquid præstant. Sed eadem huic est absoluta medicina, ac in *pernionibus* non exulceratis, s. quæ exulecratæ fuère et deìn consolidatae sunt, quæ quotannis, vere et autumno, cæque frigore, aut ingruente mutatione aeris, pessimè dolent cum titilatione et livore partis. Est enim nihil aliud quam *spiritus O acidus*; pennâ innunctus suprà cutim aliquoties, non fallit: expertus sum in plus quām centum pernionibus laborantibus.